

interna mole. Cur non sit etiam hisce continuata, et correspondens in cœli eiusdem extima superficie, et suprema? Vel enim ibi superficiem cœlum habet, vel non habet? Si dicatur non habere, ridiculum fiet, ut vel cœlum non sit corpus, vel sit corpus, sine superficie. Quæ si falsa sunt, necesse est, ut cœlum extimam quoque superficiem habeat, et necesse est eam longam, et latam esse, vel xxx illos, et xii gradus, vel maiores, vel minores alios. Si ergo signi in ea superficie longitudo est, et latitudo, necesse est alterum tantum, spacii illius inanis ei contiguum esse, xxx scilicet gradus longum, xii latum.



Et quanto a cœli superficie extimæ lineæ Arietem includentes, magis protrahantur, semper maius, ac maius spacium comprahendent. Hac in re Ariete extimo demonstrata nemo dubitet, quin in reliquis signis xi idem fieri possit; xii ergo Zodiaci signa, in suprema cœli superficie, tantumdem spacii inanis, contiguum sibi singula habebunt, quantum ipsa sunt. Longum nempe tota longitudine gradus cclx latum vero xii. Si vero a principio, et sine cuiusque signi lineæ per superficiem cœli eandem, usque ad utrumque polum proirahantur, instar peponis cuiusdam. eam in xii partes æquales dispescent. Quarum partium singulæ, totidem spacii inanis illius partes sibi contiguas necessario habebunt. Atque ita universum cœlum, ac mundus universus extimo spacio circumdabitur necessario. Quæ res ita clara modo facta est, ut si quis de ea dubitet amplius, dubitem an compos oculorum, et mentis fiet. Verum si quis amplius amet audire, audiat, et hæc. Veterum elegantissimi quidam Physici autumarunt, mundum hunc conflagraturum. Si in vapores, vel in fumum resolvatur, tum centies millies, et forte amplius, maiorem occupabit locum. At locus hic, spacium illud fuerit inane, quod corpore replente, locus nuncupabitur. Nunc nullo implente corpore, inane tantummodo est spacium. Idque cogitatione compræhenderunt ii, qui hoc dogma intulerunt, non absimili ab ea abstractione, qua Physici alii in mathematicum intellectione utuntur. Et sicut his nihil sequitur absurdum, ita illi cogitationi conflagrationis, absurdi sequetur nihil. Sicuti neque huic aliæ. Si mundus universus mente cogitetur suo loco moveri, inane illud spacium, necessario replebit, locumque in eo sibi efficiet. Quod nunc, quia corpus nullum continet, spacium tantummodo est inane. Præterea si mundus etiam hic, in minorem a Deo contrahatur molem, eius loci, qui nunc est, vacuum remanebit spacium, ut ommittamus, quæ, aliqui de homine in supremo cœlo stante, vel brachio extra porrecto cogitatione admiserunt. Esto hisce rationibus comprobatum, extra mundum spacium inane esse. Quod, locus non est quidem, sit autem cogitatione locus, et re ipsa forte, aliquando locus fiet.

Spacium hoc, quod mundum universum, undequaque extrinsecus amplectitur, eterum alii finitum esse dixerunt, infinitum alii: Sunt etiam qui rerum omnium maximum dixerunt. Hoc qui asservit, a vero non aberravit, Thales Milesius, rationemque dicti sui optimam attulit. Interrogatus quid nam maximum esset, locus, respondit. Alia namque omnia, mundus continet; locus vero mundum ipsum. Optime inquam respondit, si pro loco hoc maximo, inane extra mundum spacium intellexit. Posidonius vero, infinitum non esse docuit, sed tantum, quantum sufficiat ad capiendum mundi resolutionem in ignem. Stoici vero alii infinitum esse affirmarunt; sed quibus rationibus id confirmarunt, nequaquam constat. Nos alia ingredientiæ via, dicimus, spacium quod est extra mundum, et finitum esse,